Quelle: https://manuscripta.at/?ID=743
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



In illo temp̄. Dixit discipulis suis. Nemo lucernā accendit et in abscondito ponit neq; sub modio sed sup candelabrū. ut qui ingrediuntur lumen uideant. Et rt.

Omel Lectionis eiusdē

De se ipso dn̄s hec loquit̄. ostendens et si supra dixerit. nullū generationi nequā nisi signū ionę dandū. nequaquā tam̄ lucis suę claritatē fidelibus occultandā. Ipse quippe lucernā accendit. qui testam humanę naturę flamma diuinitatis suę impleuit. Quā ꝓfecto lucernā nec credentibus abscondere. nec modio supponere. hoc ē sub mensura legis includere. uel intra unius gentis iudeę terminos uoluit cohibere. sed supra candelabrū. ut qui ingrediunt̄ lumen uideant. Candelabrū ecclam dicit. Cui lucernā sup posuit. quia in nr̄is frontibus fidē suę incarnationis affixit. ut qui ecclam fideliter ingredi uoluerint lumen ueritatis palā queant intueri. Qua sententia quoq; iudeorū ꝓceres condempnat. qui signa querentes exterius apertā lucis ianuā noluerunt intrare credendo. Deniq; p̄cipit. ne opera tantummodo s; cogitationes et ipsas etiā cordis intentiones mundare et castigare. meminerint. Nam sequitur. Lucerna corporis tui ē oculus tuus. Corpus quippe dicit opera quę palā cunctis apparent. oculū uero mentis ipsā intentionē quę operat̄. et de cuius merito eadē opera lucis an tenebrarū sint opera discernunt̄. sicut ipse consequent̄ exposuit dicens. Si oculus tuus simplex fuerit.